ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Impetravi tibi, Nobilissime Domine, sine magno molimine, Rev. ac doctissimi viri, D. Iacobi Revij, pöemata Belgica, quæ hactenus non videras. Mittit ea tibi dono autor ipse, atq, unà litteras stabiliendæ novæ amicitiæ præcursores. Miraberis resignatas tradi, cum obsignatæ ad me pervenerint. Dicam quod res est, nec mentiar. quod si iniurato mihi credere nolis, vel Iovem lapidem, quod sanctissimum apud Rom. iusiurandum est habitum, iurare ego paratus sum. Præ imprudentia & sine dolo id à me factum. Cum n. heri mox à prandio, & somnolento mihi, mensæq, etiamnum accumbenti, ancilla fasciculum additasq literas adferret, ad me tantum pertinere ratus, cultro, qui ad manus erat, alienas iugulavi. Vt verò oculis abstersis, somnoq, solutus, tibi inscriptas esse cognovi, pœnituit me erroris mei. Cœpi statim cogitare quopacto tam subitaneo vulneri mederi possem, & præter Laccam occurrebat nihil. Nova hic iterum sese offert difficultas. ea enim continui solutionis videbatur esse magnitudo, ut non nisi magno ac deformi emplastro superimposito sanari posset. Ne itaq, ullius fraudis, aut temeratæ fidei tam oculato viro, & literarum obsignandarum intelligentissimo, iniicerem suspicionem, reclusas mittere malui, &, quod ingenui est hominis, culpam aperte fateri; si tamen culpa vocanda est, quæ mera fuit meridiantis hallucinatio. Habes confitentem reum, quiq, excusari postulat a crimine leviore, non maioris, ut veteres vocabant, abolla. Novi candorem tuum, novi humanitatem, & quo loco apud te sit Vorstij tui fides. quæ scripsi hucusq, in meæ defensionem innocentiæ, præsentium lator, Dominus Heerebertius, Collega meus ex philosophorum ordine, & præstantissimi Revij in Regentis munere a biduo succenturiatus, ore suo confirmabit. Æstimo iuvenem ingenij, eruditionis & probitatis ergò. operæ est pretium ut etiam tibi innotescat, qui præclara ingenia omni semper humanitate amplecti soles. Poterit is tuis Hugeniadis in philosophiæ studio aliquando prodesse. Si ita lubet, & otium tibi

est a curis

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Voorst) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2945

a curis gravioribus, fac periculum quid possit & sciat. Vale &
salve a me magne & colendissime amice. Salutant te meum
officiosissimè Acad. Rector M. amplissimus Golius, & qui ei
à secretis Heros Heinsius, quem iamdudum odisse cepisti.
Toti hac hora sunt in recensendis membris Academicis, & numeran-
da, quæ inde colligitur ac dividenda inter se pecunia. Hæ primæ
molestiæ Rectoratus esse solent, nec adeò ingratæ; quibus utinam
non succederent sæpe magnæ ac molestissimæ. quod uti ne fiat,
aut quam rarissimè, mea quoque refert, qui Assessorem huius
anni iam ago, stipendio quatuor librarum Flandricarum pro
huius dignitatis laboribus ad proximum Februarij octavum
functurus. Pene oblitus eram, quod tamen palmarium est, brevi
te donandum a nobiliss. Heinsio Grammatica nobilissima
Angeli Caninij. quo nomine etiam aliquid mihi debes, qui tuum
desiderium viro Ed. caro significavi. Itaque pone iam iram,
& ignosce inconsultissimo cultoris tui errori. Iterum vale.
Raptim Lugd. Bat. Aº. CIↃIↃXXXII xe Febr.

Tuæ Nobilitati singulari observantia
& affectu addictissimus,

Adolfus Vorstius.

Monsr. Je vous recommande de tout mon cœur Monsr. Wachtlaer, un petit
galant moine reformé, lequel vous est desja cognu. J'admire son esprit, & m'en
promets beaucoup de lui pour l'avenir. La faveur de Son Altesse le pourra
faire jouir son desir, & ses biens paternels. vous luy pouvez ouvrir le chemin
aux bonnes graces de ce Grand Prince. Monsr. vander Myl & Monsr. Cats en
feront la mesme a mon instance que je leur fis Samedy passé estant ~~chez~~
banquet du Recteur de nostre Academie. Je vous baise les mains & demeure

Monsr.

Vre treshumble & tresaffectionné
serviteur
A. V.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Voorst) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2945

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Voorst) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2945

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Voorst) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2945